Quaestio medica Quodlibetariis agitanda Disputationibus In Scholis Medicorum die Jovis 15a Januarii. 1573.



Doctiss. viro D. Joanne Le Pescheur D. M. Moderatore prudentiss.

## An Alimentum omne Calefacit?

Alimentum (quo animal quandiu vivit, nec in secunda nec in adulta aetate diu carere potest) Corpori ex quatuor simplicibus nato (a quorum dissidio dirempti sola potestate, ac viribus remanandam omnis est rerum omnium ortus et interitus causa) Connexo, ob perpetuam substantiae a calore nativo, nunquam otioso sed perpetuo (noctu tamen magis quam interdiu agente), ortam dissipationem, est necessarium. Cuius accessione singulas partes si ad definitam magnitudinem (quae est a facultate materiae sufficientis, et caloris robore) nondum pervenerint, quod ad formam attinet augeri secundum minimas partes possunt, quod ad materiam non possunt; aut si jam attigerint Nutritione sola conservari.

Nec vero quidvis ex alimentis (cuius finis est partes sanguineas et spermaticas ex sanguine quatuor humores re ipsa complexo refarcire) nomen habeat, consequi potest. Sed cum eorum quae in corpus ingeruntur, alia temperamento, alia materia eiusque qualitatibus quarum ope celerius vel tardius, facilius vel difficilius distribuitur alimentum, alia tota substantia agunt, alimentum proprie futurum est non quod temperamenti vel materiae, sed quod totius substantiae similitudine rei nutriendae familiare, in eius substantiam converti moleque augere, vel instaurare potest, non naturalem constitutionem quod est medicamenti et magis oppositi veneni (quo tamen nonnulli nutriri possunt) evertere.

Alimenta quae sola coctionem admittunt alia aliis magis, alia minus conveniunt, frigida enim biliosis et sanguineis, calida pituitosis et melancholicis sunt accommodatiora; nam ut medicamenta quorum est mutare, non mutari, sic alimenta quae interdum mutant ac mutantur intemperiei contraria corruptis sunt adhibenda. Haec quamvis familiaria et naturae ac consuetudini accommodata, nutriendo tamen corpori qualitate aut substantia, aut utroque modo (etiam dum foetus sanguine menstruo in utero alitur) sunt contraria. Ideoque tandiu multiplici opere elaboranda sunt, ac subigenda donec in propriam substantiam et qualitatem eius quod nutritur fuerint conversa et assimilata.

Itaque natura quae opificii vivendi lex est, et quasi ministra, multiplici coctioni multiplicia instrumenta destinavit, prima quae fuam in ore solidorum ciborum praeparationem, ac in intestinis perfectionem habet, in ventriculo (in quo eius calore, et substantiae proprietate fuit vella fibrarum ope sit candidus unius substantiae chylus) perficitur. Hic nulla eius parte ventriculi tunicis affecta, tanquam inutilis ad intestina detrusus faecibus exutis per venas mesaraicas, cum per eas ad intestinorum nutritionem venae sanguis pellectus, ab eisque praeparatus in hepate venarum et sanguinis principio in sanguinem mutatus in venis maioribus perficitur, per quas ad mammas partesque reliquas delatus, ex in eis praeparatus, sic partibus singulis appositus, et agglutinatus in earum substantiam singulis accommodate convertitur.

Calidum innatum humido primigenio caloris vitalis pabulo familiari arbore unico, ac calore insito definitum, ex calidis non tamen animatis principiis, seminis vide partes spermaticas (quas nec dissectas uniri, nec deperditas restitui possunt) et sanguine ex quo partes rubras profectum perpetuo alimento fovendum, nec tamen instaurandum suo calore eludentari diminiore, cuius est agere et movere, vitae vincit; auctore singularum partium proprietate adiutum alimentum (cuius si celerites nutriari cedentes fuerint excretiones) sibi afflare, et in suam naturam et qualitatem conatur convertere. Unde quolibet alimento (quod si parum excrementi et multum benigni succi habeat, et ventum sit vitam diuturniorem efficit) calidum nativum augeri est necesse.

Omne igitur Alimentum Calefacit.

Ponebat Nicolaus Marchant Sagiensis. 1573.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE

Domini doctores disputaturi.

| | | |
|---|---|---|
| M. Bartholomaeus Pasfart. | M. Philibertus Laudenot. | M. Stephanus Courmelen. |
| M. Joannes Faber. | M. Guillelmus Cappel. | M. Joannes Liebaut |
| M. Michael Marescot. | M. Nicolaus Le Gros | M. Petrus Ravin. |